


Georg Mejer   Philipp Fabricius


## **Disputationum Physicarum Decimaquinta De Quatuor Elementis In Specie**

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742736741>

Druck   Freier  Zugang






57

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717





*Disputationum Physicarum*  
DECIMA QUINTA  
DE  
QUATUOR ELE-  
MENTIS IN SPECIE.

*Quam*  
Divina adspirante gratia

In Inclyta Academia Rostochiensi

SUB PRÆSIDIO

M. GEORGII MEIERI

*Duderstadensis Saxonis.*

Tuebitur

PHILIPPUS FABRICIUS

*Slesvicensis*

*Ad diem 7. Iulij horis & loco consuetis.*

✠ ✠



Rostochij Typis Myliandrinis Anno 1610.

*CLARISSIMIS, EXCELLENTIS-*  
*SIMIS ET ERUDITISSIMIS VIRIS,*

Dn. M. PAULO SPERLINGIO  
Scholæ Hamburgensis Rectori celeberrimo.

Dn. M. IOHANNI HUSVEDELIO  
Ejusdem Conrectori laudatissimo,

*Præceptoribus de se optimè meritis:*

NEC NON

*Humanissimis, Virtute ac eruditione spectatissimis viris,*

Dn. M. IOHANNI ACHILLI  
Subconrectori vigilantissimo

Dn. ERASMO SARTORIO  
Musico insigni, & Ecclesiarum Hamburgensium  
Cantori solertissimo.

*Ut & reliquis ornatissimis juxta ac optimarum artium doctrinâ  
politissimis Dnns. amicis & collegis fidelissimis.*

Dnns. fautoribus & amicis suis semper colendis,

Physicum hoc de quatuor Elementis ἀγωνισμῶν  
in gratitudinis & amicitiae ἀμνησίων

L. M. Q.

inscribit,

PHILIPPUS FABRICIUS  
l. F. Respondens.

# DE ELEMENTIS IN SPECIE.

## Theorema I.

Ignis est elementum calidum & siccum.

Arist. lib. 2. de gen. & cor. cap. 3. t. 16. &  
cap. 4. t. 24.



Generalis Elementorū consideratio proposita fuit,  
specialis sequitur, qua cuiusq; elementi naturam  
in specie perpendit. Inter elementa autem, jure  
primum sibi vendicat locum ignis, cum quod pu-  
rissimus evadit, quo enim caelo propius elemen-  
tum, eo purius, & quo remotius ab eo, eo impu-  
rius existit: tum quod supremum occupet locum, est namq; orbi  
Luna contiguus.

II. Genus ignis est elementum, quia immediatè & proximè  
ex materia prima & forma est compositus, & simul cum reliquis  
elementis, mixtum constituit, ut theor. 2 & 6. preced. disp. proba-  
tum est. Differentia vero specifica quia nos latet, loco ejus proxi-  
mas sumimus qualitates ab ea proficiscentes, ut theor. 3. disp. sup.  
ostensum est. Ea vero sunt caliditas & siccitas, proximè à forma  
ignis fluentes, qua nobis in ipsius forma cognitionem quodammodo  
ducunt: Nam ex effectu proximo, judicamus de causa proxima.  
Est autem caliditas in igne, summa: Nam unumquodq; elemen-  
tum, unam ex quatuor qualitatibus maximè propriè possidet.  
& μὲν ἀπὸ ἀπὸ τῶν τε τῶν αἰσθητῶν ὄντων ἐνὸς ἑκάστου ἐστὶ γὰρ μὴ πᾶσι ἔνεστι  
μᾶλλον



μαλλον, ἢ ψυχρῶ. ὕδωρ ἢ ψυχρῶ μαλλον, ἢ ὑγρῶ. ἀπὸ δὲ ὑγρῶ  
μαλλον, ἢ θερμῶ. πῦρ ἢ θερμῶ μαλλον, ἢ ξηρῶ. *Arist. lib. 2. de gen.*  
*et cor. c. 3. t. 23.*

III. *Siccitas vero non in igne, sed in terra, est summa. Non enim ut ignis est calidissimus, pariter quoque est siccissimus, sed terra elementum est omnium siccissimum. Quia autem ignis valde rarus est, et tenuis, oritur inde levitas, quam habet summam, idcirco etiam supremum inter elementa tenet locum.*

### Theorema II.

Ignis elementaris non differt à culinari specie.

I. *Esse discrimen, et quidem satis magnum inter ignem elementarem qui caelo est contiguus, et nostrum usualem, quo quotidie utimur manifestum est. Hoc autem in accidentibus tantummodo consistere statuimus, quia non minus ignis culinaris calidus est et siccus, quam elementaris. Si igitur definitione conveniunt, specie discrepare non possunt.*

II. *Nobis contrarius est Hippus in problematibus suis Physicis probl. 23. ignem elementarem specie differre à culinari statuens, 1. Quod ignis culinaris sit corpus compositum. 2. Quod sit corpus lucidum. 3. Quod sit corpus ἄσπερον. 4. Quod percipiatur visu. 5. Quod semper requirat pabulum, quo nutriatur. 6. Quod non excedat aërem. 7. Quod à vaporibus exhalantibus exinguatur, quorum tamen neutrum de igne elementari enunciari possit.*

III. *Ceterum rationes haec differentiam quidem esse inter ignem elementarem, et culinarem probant, sed specificam illam esse, minime demonstrant. Prima dicit ignem culinarem esse corpus compositum. At est et elementaris ex materia et forma compositus. Sed inquit, hunc puriorem existere illo, et sic simpliciter. Verum dicitis. Est elementaris ignis magis purus, magis simplex, quam*

quam culinariæ. Sed magis & minus non variant speciem. Secunda, tertia, & quarta, tantummodo accidentale discrimen inferunt. Quia enim ignis supremus, corpus est non ita densum, ac noster quem habemus in terra, non potest esse lucidum corpus, ac Dædæus, non potest visu percipi. Densitas autem & raritas non statim identitatem speciei tollunt, alias & glacies qua nihil aliud est, quam aqua congelata, ab aqua differret specie. Quinta & sexta speciei diversitatem materia externa, & loco ascribit, quod tamen minimè faciendum erat. Pabulum enim quia extrinsecus assumitur, non potest speciem constituere. Ob tenuitatem igitur & raritatem suam ignis elementaris, pabulo non indiget. Similiter locus quia ad alicujus rei essentiam constituendam nihil facit, non potest essentielle aliquod rerum discrimen inferre. Præterea partes ignis tenuiores omnino ascendunt supra aërem, quod patet exemplo fumi, qui plurimum ignis in se habens, in culina nostra non manet, sed per aërem sursum movetur ad locum istum, qui supra aërem levissima debetur natura, Scal. exer. 9. Septima & postrema aliã esse conditionem ignis elementaris, & aliam culinariæ ostendit, quod non negamus. Ille enim quia maximè purus existit, non extinguitur: hic vero ob summam quam habet impuritatem extinguitur. Ignem autem elementarem, ob id, quod purior est, non specie differre à nostro, qui impurior, jam monuimus.

### Theorema III.

Aër est elementum humidum & calidum

Arist. lib. 2. de gen & cor. c. 3. t. 16. & c. 4. t. 24

I. Ignem aër excipit, quia ad ejus naturam propius cum raritate, tum levitate accedit. Desinitur vero elementum humidum & calidum. Humiditas summo gradu est in aëre: Est namque elementum omnium humidissimum, cum quod difficillimè suis terminis contineatur: tum quod humectando corpus humanum, non

cutem tantummodo tangat, sed & per poros transeat. Nec obstat quod aqua magis humectare dicatur, quam aër. Hoc enim fit propter crassorem aqua substantiam, in qua humiditas efficacior existit, quam in substantia tenui & subtili, qualis est aër.

II. Cum igne caliditatem aër habet communem, sed non pari modo: Etenim in illo calor est intensissimus: in hoc vero remissus. Nec quicquam faciunt ad infringendam sententiam nostram rationes, quas habet Timplerus lib. 1. Phys. c. 5. q. 5. par. 2. quibus probare nititur, aërem suâ naturâ neg. calidum, neg. humidum esse. Nam hac ipsius opinio, quia pugnat cum principijs Physicis merito exploditur: nullum enim in sublunaribus datur corpus, quod plane frigoris vel caloris est expers.

III. Reperiuntur, qui calidissimum elementum, aërem esse arbitrantur. Sed si calidissimus aër esset, quomodo quæso aves in eo vivere possent? Præterea quia in aëre minor est raritas & levitas, quam in igne, non potest in eo major esse caliditas, quam in igne, siquidem calorem raritas & levitas insequuntur.

IV. Non desunt deniq., qui cum Cardano aërem neg. summè calidum, neg. remissè calidum, sed frigidū suâ naturâ esse censent. Sed aër quia ignem proximè sequitur, eiq. contiguus est, non potest frigidus esse: Quo quid enim rei calida est viciniam, eo quoq. & ipsū calidius. Quod autem aër aliquando frigidus evadat, præsertim is, qui est in media regione, non natura aëris, sed vaporibus frigidis, aërem afficientibus ascribendum est: Est enim aër varijs alterationibus obnoxius. Per se igitur calidus, per accidens vero frigidus existit.

#### Theorema IV.

Tres sunt aëris regiones: suprema, media, & infima.

1. Regiones aëris nihil aliud sunt, quam differentie qualitatum, sive

sive alterationū in aëre, qua oriuntur cum è distantia & vicinitate cū cælo & terra: tum è radiorum solariū transitu & reflexione.

II. Differunt vero & quantitate & qualitate. Quantitate, quia suprema omnium maxima est, & eandem semper servat quantitatem. Media & infima multò minores, eandem quantitatem non retinent semper. Qualitate, quia suprema est calida & sicca: media, frigida & humida: infima, calida & humida.

III. Oritur autem quantitas & qualitas regionum, partim ex vi & efficacia cæli, & ignis qui est supra aërem: partim è reflexione radiorum solarium. Quousq; enim pertingit motus cælestis, item ignis elementaris vis & efficacia, eousq; se extendit suprema aëris regio, unde regio hac calida & sicca. Infima autem regio initium sumit à terra, & protenditur, quousq; radij à terra reflexi resiliunt. Media autem ea est, qua inter supremam & infimam interjecta collocatur, & quia tam cælestis orbis motu, quam radiorum reflexione privatur, necessario frigida evadit. Hac hyeme major est, quam astate: è contra vero, infima a stivo tempore major est, quam hyberno, ob diversum Solis positum. Hac de Elementis levibus: sequuntur gravis.

### Theorema V.

Aqua est elementum frigidum & humidum. Arist lib 2. de gen. & cor. c. 3. t. 16.

I. Aqua rectè sequitur, que unà cum terra unum globum constituit, in ejuſq; cavitatibus sese continet, infra se semper habens terram: Non enim elementum est gravissimum, ideoq; etiam inum locum obtinere nequit, quemadmodum terra, qua gravitate eam superat.

II. Est vero aqua elementum frigidissimum, ut patet è definitione frigiditatis: omnia enim cum homogenea, tum heterogenea congregat. Præterea est aqua igni, qui est calidissimus, maxime contraria. Ergo frigidissima. Repudiamus itaq; sententiã ac opinionem  
Magiri,

Magiri, non aquam, sed terram frigidissimam statuentis, quod omnium maximè à fonte ac principio caloris distet. Nam caliditas quam accipit aqua à Sole, aqua non est nativa. Sic potest etiam ab igne, aqua reddi calidissima, qui tamen calor, aqua non est proprius, sed adventicius: In se enim & suâ naturâ semper est frigida. Repudiamus & eorum sententiam qui cum Patricio, aquam calidâ naturâ esse censent. Nam ij confundunt id quod est per accidens, cum eo, quod est per se. Per accidens aqua calida est: per se autem frigida. Repudiamus deniq; opinionem Timpleri, qui elementum aqua suâ naturâ, neq; frigidum neq; calidum esse, sed ad utramq; qualitatem suscipiendam indifferens, & non minus unius, quam alterius capax existimat, quâ sententia quia in Physica prorsus est absona, operosâ refutatione non indiget. Nam quando ad experientiam confugimus, quâ fit per tactum, testatur ea omnino, aquâ suâ naturâ frigidam esse. Quod autem aqua frigida subito calida, & vice versa, calida, frigida fieri possit, illud naturam & proprietatem aqua non impugnat, siquidem caliditas per accidens ei inest, frigiditas vero per se, ideoq; etiam aqua licet maximè calida: semper tamen naturam frigidam repetit. Hinc rectè Scalig. Cum sit aqua omnium rerum frigidissima, & calor nullus actu ab ejus forma toleretur: nulla erit ejus ad calorem potentia, nisi passiva, quâ quidem ad actum reducitur extrinsecus, admoto peregrino calore: non autem interno excitato, qui fuit in potentia, sicut in pipere, exer. 74 sect. 6.

III. Humidam porro aquam esse, nemo inficias ibit, nisi qui sensu destitui videatur. Non vero superare eam humiditate aërem statuimus, tametsi actu secundo humidior aqua aëre dicitur, ut supra theor. 3. sect. 1. monuimus.

### Theorema VI.

Aqua suâ naturâ altior est terrâ

Est enim

I. Est enim levior terrâ. Corpus autem levius, graviori semper est altius. Est præterea terra basis & fundamentum, quod aqua substat, ideoq; terra altior esse nequit aquâ: Esset enim fundamentum altius fundato, quod absurdum est. Licet vero aqua unâ cum terra unum globum constituat: tamen aqua semper est in superficie terra, & ob id in imo terra nihil reperitur aqua. Si aqua esset in imo terræ, aqua esset gravissimum elementum. Scal. exer. 45. Nec obstat, quod aqua semper intra terra cavitates reperitur, & terram se eminentiorem habeat. Nam etiamsi particula terra altior sit aquâ: tamen impossibile est, totam terram aquâ fieri altiore: semper enim sub aqua reperitur terra. Sub omni aqua terram subesse necesse est: non autem sub omni terra aquam. Scal. exer. 38.

### Theorema VII.

Terra est elementum siccum & frigidum.

Arist. lib. 2. de gen. & cor. cap. 3. t. 16.

I. Quartum deniq; & postremum elementum est terra, elementum omnium gravissimum, ideoq; infimum etiam in natura tenet locum. Corpora enim gravia deorsum ad medium feruntur. Quo igitur quid gravius, eo etiã magis deorsum ad medium fertur.

II. Maximè vero siccum est hoc elementum, & reliquis omnibus siccus, cum quod omnium facillimè suis terminis contineatur, tum quod humorem quemcunq; combibens, suâ naturâ exsiccet. Quod autem obijcitur, ignem magis exsiccare, quam terram: ad id respondemus, ignè non siccitate, sed calore suo exsiccare, cujus beneficio omnem humiditatem exhaurit, & absurit: terram vero non calore, eum enim non habet, sed merâ siccitate suâ.

III. Est & frigida terra, sed non ita frigida ut aqua, quemadmodum theor. 5. s. 1. demonstratum est. Illud hoc loco addimus, quod licet terra corpus sit densissimum & gravissimum: ob id

B

tamen

tamen minimè frigidissimum, siquidem densitas & gravitas non in omnibus corporibus, causa est frigiditatis.

### Theorema VIII.

Terra in medio universi, tanquam centrum consistit.

I. Est namq; initiò terra corpus gravissimum, ideoq; locum à caelo maximè remotum, qui est in medio Universi, possidet. Deinde distat terra omnibus suis partibus aequaliter à caelo. Ubiq; enim quis stellas in terra consideraverit, eandem semper earum magnitudinem deprehendet. Obijcis: Quodcunq; est firmamentum sive fundamentum caeli, & omnium quae sunt sub caelo, id non est in medio positum. Atqui terra est firmamentum sive fundamentum caeli, & omnium quae sunt sub caelo, siquidem super ea totum Universum firmatur & recumbit. E. Sed respondet Scaliger, non inquam terra magis est firmamentum caeli, quam caelum est terrae septum. Neq; plus efficit terra, ne ruat caelum, quam caelum, ne avolet terra. Item: Neutiquam verum est, à centro pendere caeli munimentum. Quippe non, quemadmodum nobis centrum est prius nostro circulo, ita à caeli centro primus opifex auspiciatus est, sed utrumq; simul, exer. 45. Obijcis iterum: Centrum omnis magnitudinis est expers. Terra vero non item, Ergo terra non potest habere rationem centri. Hic distinguimus inter centrum mathematicum & physicum. Illud magnitudinis est expers: hoc non item. Quia igitur terra centrum est & dicitur non mathematicum, sed physicum, consequens est, ut certam habeat magnitudinē, secundum quam in longum, latum, & profundum sit existensum.

### Theorema IX.

Terra non tota movetur.

Quam-

Quamvis Copernicus Mathematicus insignis terram moveri, Solem vero stare contendat, ex q̄ hac falsa hypothesi, omnes ferè suas demonstrationes deducat: attamen hac ipsius sententia consistere minime potest. Nam 1. sensus testatur terram secundum se totam stare immotam. 2. Terra est corpus grave, & est in loco suo naturali, ideò naturaliter quiescit. 3. Si terra moveretur, violenter moveretur: Terra enim motus extra medium est violentus, & hoc pacto tolleretur ipsius terra duratio & constantia, quia nullum violentum est diuturnum.

II. Sed insurgis: 1. Quod quia terra in se habet naturam, in se etiam habeat principium motus: Natura enim non tam est principium quietis, quam motus, Arist. lib. 2. Phys. cap. 1. Verum mobilem esse terram non simpliciter negamus, hoc est habere in se potentiam, secundum quam moveri possit: actu vero eundem moveri pernegamus: Siquidem non necessum est, ut affectiones corporis naturalis omni corpori ἐνεργεία insint, sufficit si δυνατόν. Quemadmodum enim in cælo, non est quies actu, sed potentia: sic in terra motus est non actu sed potentia. In cælo vero esse naturam quis ibit inficias?

### Theorema X.

Terræ figura est rotunda.

I. De figura terra, varia quidem fuere Veterum Philosophorum opiniones: Verum verioreni censemus Aristotelis sententiam, qui rotundam terra figuram ascribit lib. 2. de cælo cap. 3. Est enim 1. terra totius Universi centrum ut theor. 8. probatum est, & totum universum est sphericum, ut theor. 7. disp. 11. Si igitur Universum constat figurâ sphericâ, utiq; & terra, ejus centrum figurâ sphericâ constabit. 2. Quia umbra terra in eclipsi Luna est rotunda vel ex parte, vel ex toto. Qualis vero est umbra projecta  
figura,



figura, talem quoq. oportet esse figuram ipsius corporis, quod umbram projicit. 3. Quia cælum circulari ambitu complectitur globum terrenum, & stella qua in cælo existunt circulari motu circumferuntur.

II. Neq. obstat huic rotunditati, quod in superficie terra montes promineant, à quibus lineæ ductæ ad circumferentiam videantur fieri breviores, cum tamen omnes à centro emergentes, & ad circumferentiam usq. exporrectas, æquales esse oporteat. Tantilla enim pars in comparatione ad totam terram, nihili instar est. Ideoq. veteres montes in terra nihil aliud esse, quam nodos in pomo dixerunt: Ut enim nodi isti non faciunt, quo minus pomum sit rotundum: sic nec montes faciunt, quo minus terra rotunda sit dicenda.

## COROLLARIA.

I.

An incendium cœli metuendū, quod elementum ignis sub sphaera Lunæ collocetur? N.

II.

An ignis suas proprietates per *συνδύασις* communicet ferro? A.

III.

An terra sine omni fulcro & basi existat? A.

IV.

An si globus terrenus perforetur, lapisq. in foramen conijciatur, ille in medio seu centro terræ, nulli etiam fulcro innixus, sit hæsurus? A.

V.


An montes fuerint ante diluvium? A.


VI.

An sint antipodes? A.









306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis & corruptibilis natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.


### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, sed per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document